

credere, nos de hoc argumento agere ideo suscepisse, vt nouas sententias proferre, aut diuersas multorum et celeberrimorum nostri aeui medicorum opiniones componere vellemus, sed tantummodo, vt aliis pateat, quae nobis contra illorum auctorum sententias argumenta opponi posse videntur.

## §. II.

*Miliare exanthema nouus morbus.*

Morborum quidem numerum primis temporibus exiguum fuisse, quem postea, simpliciori viuendi ratione relicta, luxuria, desidia, aliaeque caussae plurimum auxerunt; res est notissima, et ex ea historiae medicinae parte patet, quae de statu eius antiquiori exponit, vbi in herbarum quarumdam et simpliciorum remediorum applicatione omnis posita erat scientia. Nec rationi adeo absolum videtur, etiam nunc eorum species atque numerum augeri posse, si noua committantur vitia, sanitati perniciosa. Sic inter nouos morbos a plurimis numerantur scorbutus, variolae, purpura, cet. Non defuerunt tamen, qui hos morbos iam olim cognitos fuisse testantur. Scorbutum eum esse morbum, qui in HIPPOCRATIS scriptis Σπλήν μέγας nuncupatur, coniecit RICH. MEAD<sup>b</sup>). Variolarum antiquitates Vratislauiensium medicorum celeberrimus, IO. GODOFR. HAHN<sup>c</sup>) eruere annis est. Varia et plura itidem in veterum scriptis passim reperiunda collegerunt DAN. WILH. TRILLERVS<sup>d</sup>) et IO. CHRIST. LVD. SEIP<sup>e</sup>), quibus confirmari arbitrati sunt, miliarem morbum veteres non ignorasse, eiusque antiquitatem ex his ipsis recte colligi. Verum enim vero

A 3

neque

b) In monitis et praeceptis medicis. Lond. 1751. 8. p. 221.

c) Variolarum antiquitates e graecis erutae. Brigae. 1733. 4.

d) Conf. Exercitatio de febre miliari, potissimum foeminarum, priscis medicis graecis haud incognita, ad quaedam HIPPOCRATIS loca illustranda. Extat etiam in Eiusd. Opusculis medicis ac philologicis, quae curauit CAR. CHR. KRAVSE. Lips. 1766. 4. Vol. II. p. 326.

e) Vid. diff. inaug. de purpura morbo antiquo. Goett. 1741. 4.